Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

paucis ut semetipsum ammoneat, et conuertatur ad id quod expedit. Cumque accepisset dilationem permanebat in oratione. Iussu uero sollicitati de aliis christianis circuibant ciuitatem ut quoscumque inuenissent christianos credentes tenerent. Cumque comprehenderent aliquos, adducebant eos in carcerem. Beatus uero theodorus sedens cum eis docebat eos uiam salutis ac perseuerantie dicens. Nolite hec tormenta expauescere que admodicum uobis inferuntur. ut abnegetis regem celestem et dominum ihesum christum. Cumque hec et his similia diceret ad eos qui reclusi erant tempore oportuno reperto, templum martis et deorum nocte ingressus. ponensque ignem succendit illud. Visus autem ab aliquo accusatus est. Choronides uero tabularius cum cognouisset hoc factum. metu perteritus comprehendit beatum theodorum. et obtulit eum publio presidi dicens. Hic pestis et nuper tyro qui est aduenit in ciuitatem nostram. templum antiquitatis deorum et martis igne succendit. deosque nostros iniuriauit. Quem ego comprehendens obtuli tue magnitudini. ut secundum precepta inuictissimorum imperatorum penas exsoluat de his que in deos nostros audacter gessit. Iudex autem cum audisset accersito brinca preposito ait ad eum. Tu ei dedisti inducias ut deorum nostrorum templum igne succenderet? Qui respondens dixit. Ego sepius eum adhortatus sum dans ei dilationem ut secum pertractans consentiat nobis et immolet diis immortalibus libamina. Sin uero hoc fecit. tu cum sis iudex tamquam in contemptorem deorum penas exerce secundum datam tibi potestatem. Sedens ergo preses pro tribunali iussit sibi adduci beatum theodorum. Cumque adductus fuisset. dicit ei preses. Ut quid pro eo ut sacrificares diis nostris ignem et incendium eis obtulisti? Beatus theodorus dixit. Quod feci non abnego. Igne namque illud incendi. Talis autem deus uester et potentia. ut ignis eum non tangat et inflamet eum. Ego enim ligna succendi. ut lapides comburerem. Tunc furore repletus preses. iussit eum cedi dicens. Multa mihi uerba noli respondere. Expectant enim te durissima tormenta. ut te faciant obtemperare preceptis imperium.

Theodorus dixit. Neque tibi acquiesco. neque penas tuas pertimesco. et si sunt fide tribules. fac ergo quod uis. me enim expectatio iustorum inuitat. ut confidam propter spem que mihi reposita est. et coronam quam mihi deus preparauit. Iudex dixit. Sacrifica diis et erue te ab his tormentis. que tibi preparata sunt. Theodorus dixit. Non mihi sunt tormenta hec que ex te inferuntur terribilia. Dominus enim et rex noster ihesus ante faciem meam assistit. qui me eruet de suppliciis tuis. quem tu non uides. eo quod oculis cordis tui non uides. Indignatus est ergo iudex et sic fremens ut leo iussit eum mitti in carcerem et signari ostium carceris. atque ibidem eum dimitti ut fame moreretur. Beatus uero theodorus a spiritu sancto nutriebatur. In eadem autem nocte apparuit ei dominus dicens. Confidens ergo esto serue meus. et ego sum tecum. Ne ergo accipias escam et potum ab hominibus istis. est enim tibi alimentum incorruptum in celis. Et hec dicens recessit ab eo. Et cum recessisset ab eo. cepit beatus theodorus exultare et psallere deo. Erat autem populus multus audiens eum. Hec ergo cum audissent custodes carceris et uiderent ostium clausum et signaculum sanum aspiciebant per fenestram. et uidentes populum multum uestibus albis amictum. et psallentem simul cum sancto theodoro. metuentes abierunt et renuntiauerunt hec iudici. Cumque hec ab eis audisset iudex surgens cum festinatione cucurrit et uenit ad ostium carceris. et uidit carcerem clausum. et uoces psallentium cum beato theodoro audiuit. Audiens hec preses. iussit ut milites armati carcerem in circuitu custodirent deforis. suspicatus aliquos christianorum esse intus. cum beato theodoro. Et aperiens ingressus intus neminem uidit nisi solum seruum dei in ligno detrusum. Et apprehendit eum tremor magnus. et eos qui cum ipso erant. Exeuntes uero cum stupore et recludentes carcerem. rursum recesserunt. Tunc iussit preses dari beato theodoro unciam panis. et poculum aque diurnum. Fidelis autem martyr christi secundum quod scriptum est. iustus ex fide uiuit. nec quicquam cibi accepit ab eis. sed tantum in semetipso dicebat. Me dominus et rex meus enutriet christus. Mane autem facto. iussit preses adduci beatum theodorum. et dixit. Acquiesce mihi absque tormentis. et sacrifica diis. ut in celeritate scribam orbis terrarum dominis pontificem theodorum fieri. et honores ab eis nominatissimos accipere. et consessor noster eris. Beatus uero theodorus aspiciens in celum et consignans se dixit ad presidem. Etiam si carnes meas igne concremari facias. et suppliciis uariis expendas. et si gladio me tradas. donec fuerit spiritus in manibus meis non denegabo dominum meum. Preses autem hec audiens cum preposito consilio accepto iussit questionariis ut eum in ligno suspenderent. et ungulis ferreis latera eius raderent. Qui in tantum eum raserunt. ut et coste eius nudarentur. Beatus autem theodorus nichil respondit presidi. sed psallebat dicens. Benedicam dominum in omni tempore. semper laus eius in ore meo.